aut ita conveniant eis animalia quod quedam nec ſompno nec vigilie conveniant. quedam autem conveniant utriſque. Ex hiis determinatis in primo libro queremus in ſecundo quid eſt ſompnium et propter quam cauſam dormientium quidam ſompniant et quidam non et quare qui ſompniat aliquando non recolit et que ſit cauſa huius quod recolit aliquando. Et queremus adhuc inſuper licet non omnino ſit de ſcientie huius proprietate utrum contingit in ſompno previdere vel non. Et ſi detur quod futurum contingit futurum previdere queremus qualiter hoc contingit. Queremus etiam utrum contingat previdere futurum cauſata ab homine ſolum vel ab aliqua virtute que naturaliter in ipſo eſt. vel non ſic ſed habeant cauſam ex quibuſdam demonibus qui ſunt anime celeſtes quas quidam intellectus vel intelligentias vocant. Et oportet iterum querere utrum huiuſmodi ſompnia cauſam habeant ordinatam in natura vel ſiunt cauſa ſicut eventu ut quidam dixerunt. Iſte igitur queſtiones ſunt in tota ſcientia determinate.

dormientium quidam ſompniant et quidam non

anime celeſtes intelligentias vocant

Non autem eo ordine quo enumerata ſunt determinari poſſunt quoniam cum prima ſit quid eſt ſompnus et ſompnus ſit paſſio quedam animalis et nos ſciamus quod paſſionis diffinitio non habetur niſi per ſubiectum oportet nos determinationem prime queſtionis dimittere donec quedam alie determinentur. adhuc autem cum nos nulla ratione poſſimus indagare utrum ſint communes paſſiones iſte vel anime vel corporis niſi ſciamus ſecundum quid idem animali inſunt oportet ab illo incipere noſtram conſiderationem. Dicimus igitur quod manifeſtum eſt has duas paſſiones circa idem animal et circa eandem partem animalis ineſſe. hoc autem probatur per hoc quod iſte due paſſiones inter ſe opponuntur ut privatio et habitus aut habentia modum privationis et habitus quod nos inferius declarabimus et cauſe eorum habent oppoſitionem contrarietatis. ſed quod hic ſufficit eſt quod ſompnus eſt impotencia quedam ſenſuum. vigilia autem potencia ſenſus ſecundum actum facti. impotencia autem et perfectio opponuntur ſicut privatio et habitus. cauſe autem proxime iſtarum paſſionum ſunt calor et frigus ut inferius oſtendetur ſic igitur ſupponamus iſta nunc eſſe ſicut oppoſita et quod ſompnus ſit quedam privatio vigilie.

has paſſiones circa idem animal ineſſe

cauſe iſtarum paſſionum ſunt calor et frigus

Dico autem quedam quia nec proprie quies eſt nec proprie privatio ſicut videbitur infra. cum igitur ſic habeant modum oppoſitorum oportet quod etiam inſint eidem et nata ſint fieri circa idem. omnia enim extrema que maxime in generibus oppoſitorum diſtant circa idem videntur eſſe ut docent logice rationes. hoc enim generale eſt tam in naturalibus quam in aliis et probatur per inductionem. viſus enim et cecitas inſunt circa idem quia circa oculum. ſimiliter autem ſecundum idem inſunt ſanitas et egritudo que ſecundum complexionem vel compoſitionem inſunt corporis complexionati vel compoſiti ſicut ſecundum idem inſunt. fortitudo et debilitas quia ſecundum miniſtrativam virtutem et roborum naturale corporis. et ſimiliter turpitudo et pulcritudo circa proportionem coloris et figure membrorum corporis. et ſimiliter ſurditas et auditus que circa auditum ſunt et ſic de omnibus aliis extremis in oppoſitione invenitur.

viſus et cecitas inſunt

fortitudo et debilitas ſecundum miniſtrativam virtutem

Dico autem extrema oppoſitorum precipue in eis que opponuntur ut privatio et habitus eo quod in hiis non ſint niſi extrema ſicut in affirmatione et negatione et nullum omnino medium ſecundum ſe. Cum igitur talem modum oppoſitionis habeant ſompnus et vigilia. oportet omnimode hec ineſſe eidem et ſecundum idem. amplius de hoc idem erit manifeſtum etiam ex hiis que nunc dicemus in qua enim particula cognoſcimus vigilantem dum vigilat et hac eadem cognoſcimus dormientem dum dormit et ſompno premitur.

Cum tale modum oppoſitionis habeant ſompnus et vigilia

Nos autem eum qui utitur ſenſu putamus et dicimus vigilare. et econtrario dicimus eum qui vigilat ſenſu uti et per ſenſum ſecundum actum ſentire aliquem motum extrinſecorum que inferunt ſenſibilia exteriora in ſenſus organa vel aliquem motum interiorum ſi forte retrahit virtutem ſenſus communis ab exterioribus organis et convertit ad interiora motum perceptionem ut faciunt forme ſenſibilium recepte in organa ſenſus communis et fantaſie. vel interiorum virium aliquarum aliarum.

Si retrahit virtute ſenſus communis ab exterioribus organis

Si ergo vigilia in nulla parte anime cognoſcitur niſi in ea que eſt ſenſus ſecundum actualem uſum ſenſuum. manifeſtum eſt quod in parte illa qua contingit ſentire. vigilant animalia vigilantia: et dormiunt animalia dormientia dum vigilant vel dormiunt

Capitulum tertium quod ſolum ſecundum ſentire inſunt ſompnus et vigilia que plantis non conveniat eo quod ſenſibilem partem non habeant.

Hit ergo determinato eo quod certo loco quem ſitum ſupra poſuimus facile determinatur nobis id quod ſecundo loco querebamus. Cum enim tale quid ſentire eſt quod eſt facultatem utendi ſenſibus habere vel impotenciam eiuſdem neque anime ſolius proprium eſt neque ſolius corporis eo quod ſenſus qui ſecundum actum talem eſt. eſt motus quidam anime per corporeum inſtrumentum patet quod hec paſſio que eſt ſompnus et vigilia nec anime propria eſt ſolius neque corporis. cuncti quoque enim talis eſt potencia que eſt plena facultas ſenſus uſus. eiuſdem etiam eſt actus et privatio eiuſdem. vigilia autem eſt actus talis facultatis. et ſompnus privatio. ergo ſompnus et vigilia ſunt paſſiones communes et hoc patet per hoc quod ſicut ſolius anime ſine organo non eſt ſenſibus uti. ita neque inanimatum corpus organo ſenſuum ſimiliter poſſibile eſt

Quid ſentire eſt facultatem utendi ſenſibus habere

Vigilia eſt actus facultatis et ſompnus privatio